



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Præfatio,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)



TERTIA PARS
CLYPEI THEOLOGIAE
THOMISTICAE.

DE DEO INCARNATO, ET SACRAMENTORVM AVTHORE.

TRACTATVS PRIMVS.

De Incarnatione Verbi Divini.

A quaestione prima tertiæ partis, usque ad vigesimam septimam.

PRÆFATIO.

NULLVM est inter Religionis mysteria, quæ hæcenus in duplici parte Summæ S. Thomæ pro viribus explicui, argumentum dignius, aut difficilius, & quod arduas magis in Scholis quaestiones, aut olim plures & gravioras in Ecclesia hæreses excitaverit, Incarnationis mysterio, quod in hac tertia parte explicandum suscipio. Vix sibi D. Paulus dignum satis nomen reperire videbatur, quo mysterium hoc ineffabile commendaret, nisi congestis & cumulatis quæcumque in animum, quadam contentione enitentem, subire poterant: Magnum pietatis Sacramentum esse diceret, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum in gloria 1. ad Timoth. 3. Ceteri Patres, quantum quisquis eniti potuit, Apostolum secuti sunt, apud quos nihil frequentius reperias ijs commendationibus, quibus eloquentiam omnem advocarunt, quamvis ita commendent, ut obscuritatis & periculi simul moneant, nisi rationem, in his mysterijs cæcæ, fides ducat, & veluti admotis habenis regat. D. Dionysius ineffabilem Iesu in carne apparitionem vocat; Cyrillus Alexandrinus, Enigma sacratissimum; Damascenus, Novum omnium novorum, & solum sub Sole novum; Augustinus, Mirabilem mixturam; Gregorius, secretum ineffabile, quod ipsos etiam volucres cæli latet, id est Angelos, quantalibet intelligendi vi polleant, quodque diu ante prænuntiari debuit, ne præter obscuritatem, quæ vix diu luctantem rationem vincere potuit, inaudita novitate repelleretur. Vnde eodem S. Doctore interprete, Job 9. Propheta cursores vocantur, quod cursoris officium sit ventura nuntiari: quamvis quia non eis tanta felicitas contigit, ut ad id quod nuntiabant pervenirent, ideo subditur: Fugerunt & non viderunt bonum, sed pertransierunt tanquam poma portantes: Nimirum (inquit idem Gregorius) Divinæ Incarnationis mysterium prophetantes, ipsi quidem spei odore potiti sunt, sed nobis fructum de ejusdem spei perfectione detulerunt. Promptum esset plura ejusmodi congerere in argumento quod Sanctorum Patrum libros penes im-

Tom. IV.

Ddd

mentis replet. Verum temperandus est calamus in argumento communi, & ut propius ad nostra veniam, plurimum mihi vires & animum addit, quod in hoc sacro enigmate explicando, Oedippo acutior, & majorem Salomone, D. Thomam habeam; cujus hanc potissimum tertiam partem Christus Dominus his verbis tertio probavit, quæ facile omnium hominum ac beatarum mentium commendationem superent, BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA. Et cum singule partes suam laudem habeant, hoc habet præcipuum tertia pars, ut ineffabile Verbi mysterium, per litteram intelligibile effecerit; & quod de D. Joanne Evangelium scribente Rupertus dixit Joan. cap. 1. Eadem veritas quæ de terra orta est, carnem de Virgine assumens, eadem de virginali Thome anima genita, vocem corpoream induerit; & secundo ac intelligibili partu, Verbum incarnatum mentibus conspicuum ediderit. Duce igitur meo Angelico Præceptore, non dubitabo (AMICE LECTOR) polliceri hanc Tractationem de Incarnationis Mysterio, nibilo ceteris inferioriorem esse, quin etiam alijs quas hactenus in lucem edidi, hanc avidius excipendam spero, quod me amicorum quidam datis litteris sollicitaverint, ut hanc partem festinarem, quam plurimum expetebant, qui in Academijs consequenda laurea Doctoratus operam navant, & qui ex nostris commentarijs, non nihil adjumenti percipiunt, in quibus sin profundius, facilius tamen & plenius, difficultates resolvuntur, & quæ multi Scholæ Thomisticae studiosi, instar Brevarijs Theologici habent. Vale, & dum brevi integro Theologie Cursui finem impono, me tuis apud Deum precibus juva.

ORDO HUIUS PARTIS.



POST QUAM D. Thomas de Deo, ut est finis creaturarum intellectualium, & beatitudo hominis objectiva, deque medijs internis quibus illam assequimur, nempe actibus humanis, & earum principijs, virtutibus scilicet in genere, & de vitijs ac peccatis, ipsis oppositis; nec non de legibus, per quas dirigimur, & de gratia, per quam ad bene operandum juvamus, & tandem de singulis virtutibus in particulari, tribus scilicet Theologicis, & quatuor Cardinalibus, iisque annexis, fuscè totâ secundâ Summæ Theologicæ parte differuit: explicationem mediorum externorum, seu ex sola Dei institutione pendentium, tertiâ parte aggreditur; & agit primò de Incarnatione, postea de Sacramentis, tam in genere, quam in particulari, & tandem de ascensione gloriæ in ultima resurrectione, ad quam per ipsum Salvatorem, & Sacramenta quibus nos à peccatis purgat, pervenimus. Verum totum hoc opus Sanctus Doctor perficere non potuit, cum ejus conatus, morte præveniente, impediti fuerint, magnoque orbis damno tantum lumen extinctum, quod fulgentissimis suis radijs mundum illustrabat, relictisque à se monumentis perpetuò illustrabit. Nos igitur qui in hac postrema Chypei Theologie Thomisticae parte, æque ac in precedentibus, doctrinam ac methodum S. Thomæ sequi statuimus, initium facimus à mysterio Incarnationis, cui Tractatui succedent alij de Sacramentis tam in genere quàm in particulari, in quibus quæ à Theologis in Scholis hac nostra tempestate agitari solent, eâ quâ poterimus claritate & brevitate prosequemur: Tum ne Scholæ Thomisticae studiosi, prolixâ aliorum Authorum lectione, qui de illis materijs longiores, & copiosâ eruditione plenos, edidere tractatus, plus æquo distrabantur: Tum etiam, ut prudenti D. Bernardi consilio obtemperemus, qui serm. 1. Natalis Domini admonet; faciendum esse breve verbum, quando Deus Pater Verbum fecit abbreviatum.